



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

Exemplum alterius epistolae Constantini ad Episcopum Syracusanum, vt
cum duobus aliis pergit ad Concilium Arelatense. Ex Graeca eius
interpretatione, quae apud Eusebium extat lib. X. Historiae ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

traectu facias nauigare. Et inde nihilominus his in singulis
Episcopis singulas traectorias tribuas, vt ipsi ad supradicatum locum intra diem Kalendarum Augustarum possint
peruenire : celeriter intimaturus iisdem, vt antequam

ANNO
CHRISTI
314.

profiscantur, debeant disponere, quatenus absentibus
ipsis & disciplina competens habeatur, & nulla forte sedi-
tio, vel aliquorum altercatio, quæ ad maximum dede-
cusspectet, oriatur. De cetero plena cognitione suscep-
ta finis adhibeatur. Quia cum praesentiam sui exhibuerint,
vniuersa quæ nunc in contentione esse noscuntur, non im-
merito finem debet accipere maturum, vt protinus possint
terminari atque componi. Nam cum apud me certum sit,
te quoque Dei summi esse cultorem, confiteor grauitati
tuæ, quod nequaquam fas esse ducam, vt eiusmodi con-
tentiones & altercationes dissimulentur a nobis, ex qui-
bus forsitan commoueri possit summa diuinitas, non so-
lum contra humanum genus, sed etiam in meipsum, cu-
ius curæ nutu suo cælesti terrena omnia moderanda com-
misit, vt secus aliquid haec tenus incitata decernat. Tunc
enim reuera & plenissime potero esse securus, & semper
de promptissima benevolentia potentissimi Dei prosper-
rima & optima quæque sperare, cum vniuersos sensero
debito cultu catholicæ religionis sanctissimum Deum
concordis obseruantia fraternitatis venerari.

*Exemplum alterius epistolæ Constantini ad Episco-
pum Syracusanum, vt cum duobus aliis perget
ad Concilium Arelatense.*

Ex Græca eius interpretatione, quæ apud Eusebium extat lib. x.
Historiæ Ecclesiæ. C. V.

*CONSTANTINVS AVGVSTVS CHRESTO
Episcopo Syracusano.*

IAM quidem & antea, cum quidam improbo ac peruer-
so studio de sancti cælestisque numinis cultu & fide ca-
tholica dissidere coepissent, ad resecandas illorum huius-
modi contentiones ita constitueram, vt missis aliquot e
Gallia Episcopis, tum aduenire iussis ab Africa iis, qui di-
uersarum

ANNO
CHRISTI
314. uersarum partium erant, atque obnixius inter se, pertinaciusque contendebant, præfente insuper Romano Episcopo, posset id omne, quod commotum videbatur, præsentibus ipsis accurata disceptatione componi. Sed quia nonnulli, vt fere fit, suæ ipsorum salutis, & reuerentia, quæ sanctissimæ fidei debetur, obliti, priuatas adhuc similitates exercere non cessant, dum prolato iam iudicio acquiescere nolunt, causanturque a paucis videlicet dictas sententias fuisse, atque hos ipsos non omnibus quæ inquiri ante oportebat, diligenter examinatis, ad depro mendum iudicium præpropere festinanterque processisse. Quo fit, vt & ipsi, quos fraternum & concordem animorum consensum retinere par erat, turpi aut nefaria potius dissensione discrepant, & auersis a sanctissima religione hominibus ludibrii occasionem præbeant. Propterea mihi sedulo prouidendum fuit, vt hæc quæ post iudicium prolatum sedari voluntario assensu debuerant, vel nunc tandem multis præsentibus exitum fortiantur. Quoniam ergo plurimos ex diuersis compluribus locis Episcopos in Arelatensem oppido ad Kalendas Augusti conuenire præcepimus, tibi etiam per literas significandum duximus, vt accepto a clarissimo viro Latroniano Correctore Siciliae publico vehiculo, cum duobus aliis secundæ sedis, quos ipse diligendos iudicaueris, tribusque una famulis, qui vobis in via ministrent, adscitis, designatum in locum ad diem prædictam te conferas: vt per grauitatem tuam, & ceterorum qui conuenturi sunt, vnanimem conspirantemque prudentiam, dissidium hoc, quod male habetenus per foedas quasdam contentiones perseuerat, omnibus auditis, quæ ab iis qui inter se nunc dissident, quosque pariter adesse iussimus, in medium proferentur, ad debitam religionem & fidem, fraternalaque concordiam, vel sero tandem reuocari queat. In columem te Deus omnipotens multis annis custodiat.